



Initio sequentis anni Sfortia, spe recuperandæ ditionis, bellum parat. Nam imminentem à Gallia tempestatem dudum prævidens, Galeacium non pacis tantum causâ in Sueviam miserat, sed etiam ut Helvetiorum quorundam animos sibi conciliaret. Is tunc ad eos profectus, quinque milia mercede conduxit: qui ob foedus Gallicum, domo abire prohibiti, invito magistratu in Italiam sese abdiderunt. His accedebant à Cæsare auxiliares Athesinorum copiae: quingenti insuper gravis armaturæ equites, quos bello Helvetico Philippus à Sequanis patri miserat. Insuæbres quoque nonnulli in fide adhuc manserant, quibus præerant Ascanius Sfortia Cardinalis, Ludovici frater: cujus maximè operâ cum omnis ferè ditio paucis diebus recepta fuisset, Mediolanenses, avertis à Gallo animis veterem dominum læti excepere. Interim Cæsar per nuncios cum Helvetiis agebat, ne Regi opem ferrent, sed Sfortiæ magis rem foverent, qui Imperio addictus esset. Aderant verò & Regis legati, qui iura ejus in principatum Mediolanensem allegarunt. Inter hæc Ludovicus Sfortia, relicto ad arcis Mediolanensis obsidionem Ascanio fratre, ipse Novariam profectus, oppidum & arcem in potestatem redegit.

Inter